



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris  
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,  
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,  
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter  
accommodatæ ...

De Controversijs Polemicis, & Scholasticis, etiam modernis

**Archdekin, Richard**

**Antverpiæ, 1682**

Articulus 1. Status Controversiæ, & Argumenta proponuntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40853**

## CAPUT SECUNDUM

Ostenditur quemlibet , etiam Christianum, non posse in sua Fide & Secta salvare.

## ARTICULUS PRIMUS

*Status controversiae, & Argumenta proponuntur.*

**P**ost Libertinos ante omnes expugnanda est secta Indifferentium, quorum errores mirum quantum hoc ævo invalescunt. Postquam hi allatis supra rationibus ad ducti Religionis erga Deum , ac pòrrò fidei Christianæ necessitatem agnovere, nihil sibi ulterius investigandum rati , in qualibet Secta , quam illis vel locus , vel tempus , vel quæstus accommodat, securi conquiescunt. His sanè validò docentis hortatu, ac fortí eleboro opus est , ut lethalis iste veterinus excutiatur. In hujus verò erroris barathrum duo potissimum hominum genera absorbentur. Primò , homines plebæi , qui solo Religionis nomine contenti , tam facile Fidem , quam domicilium coimmittant, eamque sibi sectam arripiunt, quam dominatam reperiunt. Alterum genus est hominum politicis simulandi artibus apprimè imbutum , quos non tam Error abducit, quam propria Cupiditas excæcat : his mollior vita, investigandi labor, fallax securitas, spes honoris, favoris umbra,

CATU

bra, omnem Religionis veræ, falsæque differentiam oblitterat, non minus paratis, si res ferat, aliam sectam, quam novam vestem assumere.

Ut vero in foveam adeo latam plures præcipitentur, post Serratum, & plures præsertim in Hollandia, & Germania, non dubitavit nuper in Anglia Thomas Hobbesius in Elementis Philosophicis, ad hunc errorem temerario austi habendas laxare. Contra hos, atque alios hujus temeritatis authores.

Dico primò, Non potest quivis, qui se Christianum profitetur, in quilibet horum temporum Secta salvari.

Probatur primò haec veritas, auctoritate Sacrarum litterarum, quas pro certissimo Dei verbo Sectarii omnes admittunt: Sic autem loquitur Apostolus ad Ephesios cap. 4. Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma: & ad Hebreos cap. 13. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Ex quibus verbis hoc formabis argumentum. In Ecclesia Christi sicut unus est Dominus, ita unita est Fides, à qua prohibemur abduci. Sed diversarum Sectarum non una est Fides, nunquam enim agnoscat Lutheranus se habere eandem penitus fidem cum Calvinista communem. Ergo non omnes illæ Sectæ sunt in Ecclesia Christi. Sed in confessu est extra Ecclesiam Christi non posse obtineri salutem. Ergo non possunt omnes in sua fide, aut Secta salvari.

Declaratur Secundò evidenti Ratione. Qui enim afferit quemlibet credentem in Christum posse in sua fide salvari, admittit etiam Hæreticos olim à primitiva Ecclesia damnatos potuisse in sua fide ad salutem pervenire. Nam ex illis plerique agnoscebant Christum Filium Dñi

mundi Redemptorem , & alia ad ejus personam spectantia. Salvari itaque poterunt in sua secta Pelagiani à primæva Ecclesia reprobati , quia negabant peccatum originale , & necessitatem gratiæ internæ ; Christum verò ejusque divinitatem semper admirerunt. Neque à salute excludi poterunt Nestoriani, qui Christum ut Deum , & hominem , & salvatorem colebant, sed duas in illo personas constituebant. Neque damnandi sunt Macedoniani , qui in Christum per omnia credebant , sed Spiritum Sanctum Filio minorēm esse volebant. Neque reprobandi erunt Novatiani, qui de Christo rectè senserunt, sed tantum lapsos ad pœnitentiam admittendos pernegabant. Hoc autem admittere aliud non foret , quam veram & primævam Christi Ecclesiam, ac totius antiquitatis consensum erroris arguere. Si enim illi in sua fide salvari potuerunt, cur tanto molimine contra eos congregati sunt ex toto orbe Patres, & Concilia ? Cur toties anathemate à Christi Ecclesia separati ? Cur maluerunt omni ævo Christiani potius exilia tormenta, & ipsam mortem tolerare, quam eorum doctrinam, aut Sectam profiteri ?

Sicutuamus etiam hoc tempore , aliquem ex iis qui in Christum credunt, negare infernum damnatis omnibus esse constitutum , aut asserere dæmones aliquando ad cœlum perventuros. Neminem credo repieres , qui admittet tales Sectarium ad salutem posse pervenire. Quantumvis profiteatur se alia Christianæ Fidei dogmata retinere.

Dico Secundò, Non sufficit etiam ad salutem admittere fidei articulos in Symbolo Apostolorum comprehensos , nisi paratus sis recipere reliqua à Deo revelata , dum legitimè propounderis.

Pro-

Probatur, ex aperto primævæ Ecclesiæ testimoniio, cùi nulla potest Secta refragari. Sic autem pronunciat S. Augustinus contra Faustum lib. 13. cap. 3. Qui in Evangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potius quam Evangelio creditis. Consentit S. Athanasius in suo Symbolo : Quicumque (inquit) vult salvus esse, ante omnia opus est ut teneat Catholicam fidem, quam nisi quisque *Integram*, inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit. Atqui symbolum fidei quod recitat Athanasius, & Evangelium cui integrè credendum assertit Augustinus, præter fidem in Christum, plurimos continet alios fidei articulos ad salutem necessarios : Ergo qui credit in Christum, & alia fidei mysteria repellit, absque ulla dubitatione æternæ salutis iacturam incurrit.

Et verò si solis Symboli articulis fidei Christianæ limites circumscribuntur, quo sum Apostolus Gentium propter fidem circumcisioñis tam acerbâ sententiâ Galatas percellit, & à salute per Christum obtinenda penitus excludit ? Nullum illi Symboli apicem refecabant, totam Christi fidem legemque prono assensu suscepunt. Hoc unum illis obstabat, quod insuper crederent cum fide Christi circumcisionem sibi ad salutem esse necessariam. Et tamen illis divino spiritu Paulus testatur ad Galatas primo : *Quoniam si circumcidamini Christus vobis nihil proderit.* Ergo admisso Symboli doctrinâ, unicus error circa alios fidei articulos à Christo penitus rescindit, & instar modici fermenti, ut ibidem loquitur Apostolus, totam fidei massam corrumpit.

Hujus ratio cuivis consideranti manifesta, hæc est. Ideo admittis necessarium esse ad salu-

tem credere in Christum, aut ea quæ in Symbolo Apostolico continentur, quia illa sunt à Deo hominibus revelata: Divina enim auctoritas & revelatio unicum fidei fundamentum est. Sed alia quæ in Scripturis continentur, sunt etiam à Deo hominibus revelata, utpote in verbo Dei hominibus proposita. Ergo necessarium est ad salutem credere etiam alia quæ in Scripturis sa-  
cris continentur, cum illa æquè sint à Deo as-  
serta, ejusque auctoritate infallibili nitantur. Si-  
cūt enim ille qui legem aliquam à Principe la-  
tam negligit, aut contemnit, hoc ipso spernit  
auctoritatem legislatoris; sic qui libere negat aut  
rejicit unum articulum à Deo revelatum, hoc  
ipso violat primam ac supremam Dei revelantis  
auctoritatem.

Ex quo ultius deducitur, cūm qui existimat  
sibi satis esse tali modo in Christum credere,  
nequidem credere in Christum fide divinā. Si  
enī in Christi personam reciperet ex motivo re-  
velationis, & auctoritatis divinæ, admitteret  
etiam alios articulos, qui sibi eodem motivo in  
Dei verbo, & Ecclesia ritè proponuntur. Hos  
autem qui non admittit, neque verā fide Christo  
adhæret, neque divinæ auctoritati acquiescit,  
sed sūm voluntati; ac libentiae, per quam fideli  
articulos sibi cudit, ac recudit, format ac re-  
format, eamque sectam eligit, quam suo ge-  
nio, ac commodo magis conformem esse depre-  
hendit.

Dices, Christus Patrem cœlestem sic alloqui-  
tur Joan. 17. v. 3. *Hac est vita eterna, ut cognoscant  
te solum Deum verum; & quem misisti Iesum Chri-  
stum.* Ergo si hæc duo agnoscas, nihil ad vitam  
eternam refert, cui porro doctrinæ, aut Sectæ  
adhæreas.

Respon-

Respondeo, ex illo argūmento sequi, ne quidem esse necessarium ad salutem, ut credas in Spiritum Sanctum, cum in allegata sententia tantum Patris & Filii mentio habeatur. Unde satis ostenditur alia ad salutem requiri, quam quae ibi explicitè memorantur. De cætero, methodum generalem respondendi ad alias hujusmodi Scripturas in hac & sequentibus controversiis, vide infra. cap. 9. methodo 2.3.4.

Ad extreum hujus infausti dogmatis Architectos, atque asseclas paucis interrogo: Si cuivis sectæ sub Christiano nomine militanti pateat communis ad salutem via, Quorsum intra ipsa Sectariorum castra tanta exardescunt Religio-nis dissidia, ac cruenta certamina? Ut alia ta-ceam externa, cur in Anglia Puritani damnant Protestantes, cur hos invadunt Independentes? Cur à paucis annis pro sua utrimque religione armati, legitimi Principis nece, ac mutuo san-guine, velut Cadmæi fratres, sua tela cruentarunt? Poterant, te arbitro, sectæ illæ suâ quæ-que semitâ ad eandem salutis metam pertinge-re; quid igitur tanta animorum, atque armo-rum contentione, ad aliam credendi normam adigenda fuerunt? An non vides (Adiaphorista) Sectas ipsas, quas tueri prætendis, suo tibi facto, ac judicio adversari: teque causam tam infeli-cem suscepisse, ut neminem ex omnibus habeas patronum, qui cupis singulis patrocinari?

Verum in hoc dogmate fabricando; de aliis pa-rum te sollicitum existimo, tua te intus causa & conscientia remordet, qui dum advertis, è commodo tuo non esse, Sectam cui adhæres in meliorem commutare, hoc demum agis, ut potius tibi Ecclesiam, quam te Ecclesiæ accommo-des, eamque ad tua vota ultra suos limites sic

in immensum extendas , ut si non intra verām ,  
saltem non extra imaginariam Ecclesiam te  
constitutum credas : at cave quæso ne imagina-  
ria quam fings Ecclesia , te ad Gehennam ve-  
ram , æternamque abducat.

## ARTICULUS SECUNDUS

*Occurritur novo errori Sectariorum,maxime Prote-  
stantium, dividentium articulos fidei in Essen-  
tiales, & Accidentales, sive ad salutem non ne-  
cessarios.*

**D**Um Sectarii his argumentis ad angustias rediguntur, ex quibus nulla pātet elabendi via , ut rimam sibi aliquam aperiant , novum fingunt discrimen inter articulos fidei divinā credendos , ut alii sint qui substantiam fidei consti- tuant , alii verò sint accidentales sive levioris momenti , quos liberum sit admittere , vel re- pudiare salvā fidei integritate. Hanc autem disti- nctionem moliuntur eo consilio , ut persua- deant, dissidia inter varias sectas Protestantium, aliorumque Novatorum , non tollere necessariam unitatem veræ Ecclesiae , nec consistere in fidei fundamentis,quæ euilibet ad salutem sufficiant.Hunc labyrinthum ingressus est cum ple- risque sectariis recentioribus Antonius de Do- minis Apostata lib. 7. de repub. Ecclesiastica cap.9. & 10. cuius hodie vestigiis ferme insistit in Anglia Stillinpletus , & in Hollandia passim moderni novatores. Hos ut ex suis latibus , in claram veritatis lucem educamus.

Dico primò , Hæc distinctio circa articulos fidei, nullâ veritatis specie defendi potest.

Pro-